Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2009
Quelle:
Copyright:

literato et mechanico, nunc Libertini a carnis libertate quam illorum doctrina permittere videtur, appellantur. Summa haec est: *Accumulant*, ait anonymus Scriptor, *magnam vim scripturarum, quibus Deus iudicium et damnationem minitatur omnibus qui legem suam transgrediantur. His ex contrario opponunt promissiones diuinas, quibus Deus asserat se omnium velle misereri.* Inter hanc itaque *Justitiae* et *Misericordiae* collisionem quomodo eluctandum? Duplicem hominem ex *Pauli* C. VII. *ad Rom.* statuendo: *animalem* unum, *exteriorem* et *carnalem*, *interiorem* alterum et *spiritualem*, illum peccare semper, hunc peccandi impotem, illum justitiae, hunc misericordiae objectum fore &c. Meminit hujus Sectae *Chronicon supracit.* ad *an.* 1544. aitque Authorem illius *Eligium (dē Schalidecker)* opificio aedium lapide fissili instratorem 25. *Aug.* vivum exustum fuisse, sociis duobus *Johanne Dorbaut* et *Cph. Draut* jam prius capite plexis, aliis in *Angliam* et quaquaversum diffugientibus. Addit, *Lutherum* ipsum monuisse *Antverpianos*, ut hunc *Eligium* Serpentem inter Anguillas *(eenen Slang onder de Palingben)* caverent.

XIII. *fol.* 42. *De Transsubstantiatione. Ag. Pute.* Incipit: *Vbi sunt diuersae* ἐνεργειαι *ibi necessum est diuersas esse substantias siue naturas* &c. Erudita tractatio est, sed *impanationem* docet, contendendo praecipue, rationem *Signi* ad Sacramentum necessariam per sola Accidentia, sublata panis et vini materia haberi non posse. An et hanc *Cassandro* dabimus?

XIV. *fol.* 48. *De fractione panis. Ag. Pu.* Initium: *In administratione huius diuinissimi sacramenti Eucharistiae eam formam quam Christus instituerit, et praescripserit, sequendam esse constat* &c. Multis pro *Fractione* disputatis, impetitaque cum *Transsubstantiatione*, tum forma *Hostiarum* in Ecclesia Catholicoromana recepta, concludit: *Fractionem sane prorsus necessariam esse, vt sine ea sacramenti ratio non constet, affirmare non ausim — Verum hoc asserere possum eos, qui hanc fractionem exigunt, non temere et sine caussa ad hoc induci, et eos, qui eam in vsu habent, prudentissime et religiosissime facere* &c.

XV. *fol.* 54. *Forma celebrandae Dominicae cenae ad Christi institutum, Apostolicae et veteris ecclesiae consuetudinem et praesentis aedificationem accommodata. Ag. Pu.* Invenitur ejusmodi ritus in antiquioribus Protestantium Liturgiis sive *Agendis;* imo Autor noster ad Ecclesiam *Argentoratensem* adpellat. *Belgam* se prodit ex insertis vernaculis: *Ic gheloue in got Vader* &c. *Onser heere Jesu Christ* &c. Initium est: *Initio ingrediente populo cantores incipient canticum germanicum* &c.

XVI. *fol.* 56. *Forma celebrationis Missarum seu dispensationis Euchari-*